



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. I. In sola spe gratiæ divinæ gaudendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## LIBER X.

Ostendit, quibus ad Dei cognitionem gradibus conscenderit; eum inveniri in memoria, cuius mirabilem vim luculenter describit; in Deo solo esse veram beatitudinem, quam omnes appetunt, et si non omnes legitimis eam querant mediis. Tum statim presentem animi sui aperit, & languores triclicis concupiscentiarum.

## C A P. I.

*In sola spe gratiae divinae gaudendum.*



Ognoscam te Domine cognitor meus, cognoscam te, sicut à te cognitus sum. Virtus animæ meæ intra in eam, & coaptata tibi, ut habeas & possideas sine macula & ruga. Hæc est mea spes, ideo loquor & in ea spe gaudeo, quando sane gaudeo. Cætera vero vitæ hujus tanto minus flenda, quanto magis fletur, & tanto magis flenda, quanto minus fletur in eis. Ecce enim veritatem dilexisti! quoniam qui Psal. 50. 3. facit eam, venit ad lucem. Volo eam facere in corde meo, coram te in confessione, in stylo autem meo coram multis testibus.

V S V S.

## V S V S.

Sola spes bonæ conscientiæ sperantis se esse sine  
macula peccati mortalis, verum gaudium parit.  
Res vero aliæ, cum ad salutem nihil sine gratia  
Dei conferant, nec gaudium afferre possunt so-  
lidum, cum habentur, nec dolorem debent, cum  
amittuntur.

## C A P. II.

*Deo nihil esse occultum, ei se confiteri, ut  
erubescat de se, & abjiciat se, illum vero  
eligat.*

1. **E**T tibi quidem Domine, cuius oculis  
nuda est abyssus humanæ conscienc-  
tiæ, quid occultum esset in me, etiamsi nol-  
lem confiteri tibi? Te enim mihi abscon-  
derem, non me tibi. Nunc autem, quod ge-  
mitus meus testis est, displicere me mihi, tu  
refulges, & places, & amaris, & desidera-  
ris, ut erubescam de me, & abjiciam me,  
atque eligam te, & nec tibi, nec mihi pla-  
ceam, nisi de te.

2. Tibi ergo Domine manifestus sum.  
quicunque sim, & quo fructu tibi confitear,  
dixi. Neque enim id ago verbis carnis & vo-  
cibus, sed verbis animæ & clamore cogita-  
tionis, quem novit auris tua. Cum enim  
malus sum, nihil est aliud confiteri tibi,  
quam displicere mihi. Cum vero pius, ni-  
hil est aliud confiteri tibi, quam hoc non  
tribuere mihi: quoniam tu Domine bene-  
dicis justum sed prius eum justificas impi-  
um. Confessio itaque mea Deus meus in  
conspectu tuo tibi tacite fit, & non tacite;  
tacet